

q̄ uirtus facientis eminentior omnibus rebus factis intelligat:
& ideo dicitur sapientia. xiiii. si uirtutem: & operari caeli: & stella-
rum & elementorum mundi mirati sunt philosophi: intelligunt quo-
niam qui fecit hec fortior est illis. F. Video o astronome
q̄ cognitio rerum naturalium creatarum est necessaria ad fidei
instructionem: & quanto digniores & altiores sunt res illae tanto
excellentiore modo fidei instructio habetur de deo: cum ergo
cognitio superiorum naturarum omnem aliam cognitionem
excedat naturalem: cum et dei inuisibilia per ea quae facta sunt
intellecta conspiciantur maxime per superiora facta. ex hac. n. cogni-
tione admirando dei timor procedit & reuerentia. Astro. O fi-
delis concludis ergo q̄ astra in timorem: & reuerentiam dei ducit fi-
deles: cum naturae superiorum corporum ab alia scientia non cognoscan-
tur. F. Ad haec ego plene habeo q̄ cognoscere naturas rerum
eo ordine quo creata sunt plurimum ualet ad destruendos errores
qui circa deum sunt primo qui crediderunt solem & lunam deos esse: cum
nihil dignius uiderent: ignorantes naturam eorum de quibus dicit Sa-
pientia. xiiii. sic crediderunt & attribuentes q̄ dei est aliis creaturis
erant ex errore habito circa naturas rerum: ut sapientia dicit. xiiii. in
conicabile nomine lignis et lapidibus imposerunt: quasi dicat ignoran-
tes rerum conditiones: & naturas illis imponunt quod non conuenit na-
turae eorum: ideo simulacra deos fecerunt: cum ex natura rerum simula-
cro nomen dei non competat: praeterea homo qui per fidem in deum ducitur
sicut in ultimum finem: ex hoc q̄ ignorat causas rerum ignorat gradum
sui ordinis in uniuerso: & per consequens se putat esse subiectum aliqui-
bus quibus est superior: sicut qui credunt uoluntates hominum astris
supponi. contra quos dicit hieremias. x. a signis caeli quae gentes ti-
met nolite timere uos: quid dicis: arguit ne hieremias contra astro-
logiam. Astro. Si qua secta per ignorantiam rerum derogat digni-
tati hominum: ut puta q̄ aliqua existimet angelos creatores animarum
& alia animas hominum esse mortales: & sic errorem in se habeat: maledictam
sua corrigat: si quis est hominum gradum suae animae in ordine uniuersi
ignorat: & conditionem et naturas proprias animae humanae contra
eum hieremiae dictum militat: non contra astronomiam scientem nobilitatem
animae a deo creatae supra stellas cum libera uoluntate: ut dictum
est saepe: sed ait hieremias propheta o uos qui deum colitis: et liberam
uoluntatem conformem deo habetis iusti fideles nolite timere a signis